Episcopus Cracoviensis.

Bielecki Martini: Panegyricus Celsissimo Principi Stanislao Dąmbski, Ep. Crac. dedicandus etc. — 1700.

PANEGYRICUS
CELSISSIMO PRINCIPI,
ILLUSTRISSIMO,
&
REVERENDISSIMO DOMINO,

D. STANISLAO
IN LUBRANIEC

DAMBSKI,
DEI, & S. Sedis Apostolicæ Gratiâ,
EPISCOPO CRACOVIENSI,
DUCI SEVERIÆ,
Almæ Vniversitatis Studij Generalis Cracoviensis,
CANCELLARIO FAVENTISSIMO,
In primo Cathedræ Episcopalis Aditu,
DEDICANDVS.
Nunc, præveniente Solennem Ingressum Morte;
æternæ Tanti Principis Memoriæ,
inter tristis Pompæ, feralia dona,
Posthumo Academicæ Pietatis Obsequio,
CONSECRATVS,
A

M. MARTINO BIELECKI,
In Collegio Majori, eiusdem Vniversitatis Regio, & Tylicianæ Eloquentiæ Professore, S. ANNÆ Cracov: & Tarnov: Canonico.

Anno Verbi Æterni mortalitatem induti M. DCC. Mensis Decembris Die XVI.
CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

NAm ita ego, à Majoribus natû accepi, neminem poſſe eodem tempore, aſſequi & magnam famam & magnam quietem; primumq; id boni Civis officium eſſe, iuvare Patriam: ſecundum, nullum caſum, pro dignitate & libertate eius non ferendum putare: tertium, quod primum omnium maximumq; eſt, vitam pro ea libenter ponere: quam ſæpe invitis etiam nobis eripit febris, aut lenta eijcit tuſſis.

Innocentius Petricius in Princ: Pol.

FOns Sapientiæ Verbum DEI in excelſis, & INGRESSVS illius mandata æterna.

Eccleſiaſtic: Cap: 1.

DIi quoq; ut à cunctis hilari pietate colantur,
Triſtitiam poni, per ſua templa jubent.

Ovidius.

PANEGYRICUS.

DExter ades, poſt longum ſeculo-
rum ambitum, Phœnix coronati
Vaveli Præſulum, CELSISSIME
PRINCEPS STANISLAE: Se-
culi deſinentis perenne decus, Diadema glo-
riæ & Corona triumphalis: ſequentis, auguſta
cogitatio, ſpes, votum, immortalium pro
Deo & Regno operum, Vivum, idemq́; illu-
ſtriſſimum exemplum: perpetuum laudum ar-
gumentum: excellentibus quoq; ingenijs, in
Te prædicando deficientibus; novum ipſe vt
ſoles Phœbo melior, inſpiraturus vigorem;
dexter ades. Quidni Præſuleam Dexteræ
Tuæ benedictionem, magno ſpei ſolicitæ
turbine præſtolantibus; felix adſis placiduſq;
juues & ſidera Tecum dextra feras! Qui è
ſanguine ingentium Heroum, affinem Superis
ſortitus indolem; non potes, niſi fauſtâ huma-
no generi velle, & præſtare ſalutaria; aſpera
temporum, cæleſti quodam genio temperare.

Non tam Cognatione Sanguinis, quàm Divinis virtutibus; non vt Liber, Tonantis triumphos: non vt Theſeus, Herculis victorias & trophæa; ſed, Divi Tui & Poloniæ Patroni STANISLAI, Vitæ ſanctimoniam, Iovis Giganteo triumpho potiorem; & zelum pro Domo Domini verè heroicum, ac pluſquam Herculeum: quô non calent, qui virtutem in ſuperbia, & audaciam in contemptu Deorum hominumq́, ponunt; quando in hoc ſeculi an mundi declivio, in quo (ut aiunt) nihil recto ſtetit talo, gloriosè æmularis; quidni, in exſuperantibus, quibus vndiq; obruimur, adverſis; ſecunda omnia, ab auſpicatiſſimo Ingreſſu Tuo ſecundus, iubeas augurari? Vera auguria, auſpiciaq; Cælo placentia, non ex oſcinum cantu, præpetumq́; volatu avium: non ex viuacibus extorum fibris, nec ex ictu monituq; fulminum, quibus credula nimiùm Dijs Gentium, vetus ſuperſtitio, multùm publicè priuatimq; credidit; aſt, ex æternùm clara, Supremi conſcia Numinis virtute, cunctorum Genitrice Divûm & ſoſpita mortalium, benè feliciterq; ſumuntur. Augur Apollo nube candentes humeros amictus, Phæbiq; cortinæ, ambagibus reſponſa inuoluentes; & ſoliſtimâ pullorum tripudia, procul à noſtris ex-

eſte

eſte ominibus. Cælo geniti, aut mox ſplendores ſiderum aucturi; homines, *diuites Virtute, pulchritudinis ſtudium habentes*; majoribus auſpicijs, ſecunda omnia & proſpera trahunt ſecum, non ſequuntur: Vates optimi votorum ſecuri, ex eventu cuncta felicia augurantur: falli & fallere nequeunt; cum præſtò habeânt certæ proſperitatis cauſam: *omnia ei adeſſe bona, quem penes eſt virtus.*

Jmmenſa ſpatijs volucris ævi amplitudo, ſex ſæcula, ſolennibus non vulgaribus votis laborarunt, ut Te aurei ſeculi PRÆSULEM, tam glorioſiſſimo Nomine STANISLAI, quàm omnium virtutum ſplendore perenni, ſimillimum Divo SZCZEPANOVIO, pretioſiſſimum Cœlorum donum, Cælitùs extorquerent. Qui inter minacium aſpectus diſcordes Poli Sarmatici Aſtrorum, Coronato Sereniſſimo AUGUSTO II. Rege Poloniarũ Invictiſſimo; placido decentem præferens reverentiam vultu; ſecula ferrea clauderes, aurea inciperes. Magna dare, diu Superi differunt, ut ſinceriùs poſcere doceant; probatâq; conſtantiâ petentium, diuturnam ſolicitudinem & deſideriorum longa faſtidia, magnitudine muneris compenſent. Perderent gratiam & æſtimationem, inuſitatà quantumvis Cælituum munera, præſtantium cumulum bo-

norum terris invehentia; ſi vulgari ſorte, & continuo proventu, non per longa intervalla ac ſpiramenta temporum contingerent. Longæ moræ, ſint alijs tormenta; nobis commoda magna ferunt. Qui hactenus, Annum hunc Gratiarum Sanctum, Orbi Chriſtiano velocibus horis, currere à longe tantum audivimus; modò primùm Vavelano vertici, Tecum pleno Indulgentiarum lumine illuxiſſe videmus gaudemuſq;. Tu, novum Sidus, alto Diœceſis Cracovienſis Cælo, fauſtum exoriris; ſigna minora, quæ Te gratis animorum vocibus, & ternis Coronarum Inſignibus, coronant, irradiaturum; ſerenaturum, illam pectorum plagam, quam magni Deceſſoris Tui JOANNIS MAŁACHOVIJ, inevitabile fatum feralibus involuerat umbris. FASCIA illa Gratiarum gemmea, fatorum imperio ſoluta, poſtquam in lacteum Orbem ſplendidiſſimo candore collucentem abijt; nobis illico atræ noctis incubuit conticinium.

At funeſto ſilentio torpere, mæroreq; conſumi, per altiſſimam DEI bonitatem non diu licuit: parentales illas vmbras, ſubito exortu, prænuntia auſpicatæ Nominationis Tuæ maior lux abripuit, depulitq;: iuſti doloris ſenſum, dulciſſima novæ lætitiæ tempeſtas ab-

ſorpſit

ſorpſit; docuitq; propalam: nullum magnum gaudium, niſi ex ingentibus malis provenire. Sol tum jam Erigonen in auguſto ſubierat, quum Te Sereniſſimus AUGVSTVS II. quinto iſti Sacrorum Imperio deſtinaret. Sane dextro ſidere, quia in ſigno Regalis Sacerdotij; vberrimam gaudiorũ meſſem, Tecum venturam; quâ hodie abundè ditamur; non in vanum præſagiens. Eadem immenſi lux publica mundi, præſultante brumæ autumni frigore; quum Te Auſpicibus VENCESLAO & STANISLAO Divis, inter Illuſtriſſimos Purpuratoſq; Splendores, Cathedræ Pontificiæ inaugurat; cæptum in auguſto felicitatis noſtræ diluculum, meridianis ignibus accendit. Nempe in hoc PRÆSVLEI honoris Apogæo, Paſtorali vigilantia, bonitate, & Prudentia præradiantibus, Sedes Tua illuminabitur, ſicut dies Cæli, & tenebræ vitiorum penitus tollentur. Ver almæ fauſtitatis purpureum, virtutum divitem continuabit autumnum. Nemo hybernos adverſorum queretur aquilones, Gratiâ Tuâ fovente: nemo noxios Sirij æſtus, ſentiet; Gentilitiâ Tuâ PINV, triumphalium prodigâ decorum, præbente tegimen ardoris, & vmbraculum Meridiani.

 Flumi-

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibunt,
Flauaq́; de viridi stillabunt ilice mella.

Hæc, cùm divinat animus, iam ante sublimem laudum Tuarum Olympum, pedestri lituo contingere ausus; ire iterum in plausus, Academicæ Venerationis interpres iubeor, & summum gloriæ Tuæ Zenith; radio describere. Non necto moras, pulcherrimi cuiusq́; operis comites; apicem felicitatis habiturus, si lenioribus clementiæ Tuæ flammis, ambustus felicior Phàëton; immensum virtutum & meritorum decidens in Oceanum, splendorem Patrocinij PRÆSVLEI, Palladi Iagellonicæ affulgentem inveniam. Iam cado, fer opem Optime PONTIFEX ---- dextrisq́; profundum

A litibus prætexe diem.

Non est hic casus, ad Icariam ruinam vel ignominiam, vitreo daturus nomina ponto: nec infido vitreæ fortunæ salo, medij carina ingenij committitur: nec Cælestis Erydani violentior amnis, maiora viribus audenti, acerba funera purpureis minatur in vndis. Vt beatior redirem, me iactu spontaneo dedi æquor in altum, auri, purpuræ, gemmarumq; feracissimum. quod non arbiter vndarum Cylennius, placidum simulando vultum, fallacibus austris permisceat: quod non Lunæ sidus, varium & mutabile semper, alternis vicibus

cibus creſcere & decreſcere faciat: quod non Æolijs diſſidiorum freta procellis, ſoror Tonantis perturbet. Æquor placidum & tranquillum, niſi quis, in adverſo publicæ felicitati littore, Æolus inſanis ſtatuat certamina ventis. Tunc enim ſimillimam pelagi, & ingentis animi indolem comperiet: illud non niſi rigidis Aquilonibus, & inſolenti Africo, triſtiq; nubium fragore concitatum, celata magni pretij munera pandit: hic non niſi crudis & infauſtis bono publico caſibus, ſummoq; laudum incenſus amore; heroica magnarum Virtutum documenta prodit: quæ imitari æmulariq; omnes boni aueant, nemini æquis paſſibus aſſequi, liceat. Quis DEVS, immenſi iſtius præclarè factorum maris, per ora aureſq; hominum veniat? non me profanus Vates interroget. Gentilitia Optimi PRÆSVLIS Arbor, eadem Argo, aureo libertatis Polonæ vellere felix; eadem ipſa malus, illuſtribus Argonautis, reſponſa & Oracula promens; terno conſpicua vertice, fabuloſum cum Tridente reſpuit Neptunum, nec admittit Nereum. Vni in TRINITATE DEO confiſa, abſq; Iunonis infeſtæ odijs, maria omnia Cœlo miſcet: id eſt ardua, ac formidoloſis pro egregio publico temporibus, fortiter ac glo-

 rioſe

rioſè acta opera; ſupernis favoribus refert. Vaſtum gloriæ Tuæ, Magne ANTISTES Oceanum, cuius placidis obruor fluctibus; tanquàm pellucidam aquarum, quæ ſuper Cœlos ſunt congregationem, ita acclinis circumſpicio; vt in ea ſimul Virtutum Tuarum, puriſſimâ excelſæ mentis cryſtallo prænitentium, Cœlum Cryſtallinum advenerer. Alti & pervetuſti Sanguinis mare purpureum, continuis illuſtrium geſtorum Eteſijs temperatum, maioribuſq; Erythræo magnarum animarum pretijs fortunatum, ita admiratore animo contemplor; vt ſimul, novum in medio aquarum Firmamentum fieri credam & mirari debeam.

A liquidi elementi tropo, ad ſolidos & perennes Cælorum fulgores, cæptæ laudationis tenorem, non incongruâ tranſlatione confero. Non ſum neſcius, in ipſis naſcentis mundi incunabulis, ſupremum rerum omnium Artificem Deum; è fluxa aquarum natura, firmam & ſtabilem, Cœlorum Subſtantiam, & adamantinum illud lucidi Firmamenti robur, majeſtatemq; ſtellis diverſarum magnitudinum, velut gemmis & vnionibus præradiantem produxiſſe. Ideas quondam PINVS, magni Anchiſiadæ claſſem, dum ferro flam-

mâq;

mâq; Rutulorum premerentur; in gratiam Cybeles, ſummi beneficio Iovis, in Nymphas Deaſq; maris converſas; ingenioſum maximi Vatis commentum eſt. Hoc verò, germanam veritatis ſpeciem habet; fortiſſimi GODZIEMBÆ Bellatoris PINUM, poſtquam evulſa humo, fulgentium armorum vicem ſubijt; & magnæ in rebus Polonorum inclinatis, victoriæ felix auſpicium præbuit; in aſtra creviſſe: nec iam ampliùs ramos & folia, ſed primæ magnitudinis ſiderâ heroum; nec alios fructus, quàm lauros; victori tenebrarum Soli dicatas; producere. Hac ille clavâ Sarmaticus Alcides, dignum ſe Iove, dignum Cœlo probavit. Hoc trino triumphali Culmine, nutantia Cœli Sarmatici pondera, Atlas ille ſuſtinuit. Hoc Victorioſæ Arboris trophæo, inclytæ Gentis ſuæ famam, æquavit Olympo: hoc nobili novi triumphi Ferculo, Superùm clementiam flexit; ut votis ſubſcriberent fata ſecundis; Celſiſſimam GODZIEMBARVM Domum, futuram perennium, Patriam ſedemq; Luminum; Polonæ Libertatis ac fauſtitatis robur & firmamentum: Sanctiorem Virtutum Olympũ.

Jnter perpetuos Conſtellationum meridionalium ignes, lucidũ Lupi ſidus, Aræ Cæ-

lesti proximum, sublimis astrorum scientia advertit. At sidere pulchrior omni, in Plocensi Cathedra, Præsuleis curis & Virtutibus, refulsit LVPVS GODZIEMBA. Auream Persei stellam, illustriùs refert, FELIX PANIEWSKI GODZIEMBA; cui, inter geniales nuptiarum cum Regio Sanguine tædas; augusta MATHIÆ Regis Hungariæ Trabea, non sinè illius prævio meritorum fulgore; purpureum iubar accendit. Qui glorioso Nominis sui omine, ubiq; armorum victor; priùs in Pannonia, deinde in Polonia, summa imperia bellica, clavamq; Ducalem, Victorijs & triumphis coronavit. Primæ magnitudinis sidera, collecto à sex sæculis, Clarissimorum decore Luminum; in hoc avitæ gloriæ firmamento, altùm præradiant DAMBSCIJ & LVBRANSCIJ. Vnum Genus illis, eadem lucis nativæ germina; licet geminari videantur, vt ampliùs niteant. Iidem, in Serenissima Republica Polona, summis Virtutibus, summis honoribus, semper conspicui; continuâ purpuratorum Auorum serie, summaq; claritudine; vnum quoddam immensum fulgorum constituunt; licet distantes cognomine appareant. Meridionales & Septétrionales coronæ, qua parte cæli micant; quantùm

lumi-

luminis, Regiæ ſtellantis Olympi adaugent; tãtùm illos, TIARÆ VLADISLAVIENSES, POSNANIENSES, PLOCENSES adornant: quorum Sacratos Vertices, digniſſimè omnium coronârunt: fulgidis invicẽ eorum Virtutibus coronatæ. Maiorum Minorumq; Inſignia Magiſtratuũ, in hac Domo, perpetua; Trabeas, Paludamenta, Laticlavia, Curules, Vexilla, Sigilla, Præfecturas, Caduceos, enumerare velle; idem eſſet ac ſtellas numerare poſſe; quarum certitudo numeri, non dum adhuc vndiq;, ipſis aſtrorũ peritis conſtitit. Nemo, in hoc nitidiſſimo omnis lucidi profundo; nebuloſas, nemo obſcuriores ſtellas requirat, nec prodigiale ſonãtes; vnde fauſtos & ſalutares aſpectus, terra Polona experitur. Maiorum hîc duntaxat, alma coniunctio ignium; & quidquid vetuſtiſſimo, Sanguinis, Virtutis, & Principalis fortunæ Splendore JLLUSTRISSIMUM ſuo fixum Polo, Polonia habet; hoc totũ DAMBSCIANIS & LVBRANSCIANIS Fulgoribus; cum flammeo connubiali accedit. Tantorũ Tu Summus Moderator Luminum, Celſiſſime PRINCEPS: Te hæc, ſuum Solem, Sidera nôrunt & venerãtur; quorum primam licèt magnitudinem; ita, vt Sol fons luminis, omne lucidum; abſorbes. Tu, cum

Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo Germano Tuo, SIGISMVNDO DAMBSKI, Palatino Breſtenſi Kuiavienſi, tam immenſæ lucis Aux trabeata: Signum celſi radiatum Poli: immortalis gloriæ,

Axis inocciduus geminâ clariſſimus Arcto.

Magnificentiæ ſtudio, multas illuſtres Familias, olim collapſas legimus; & hodie collabi ſpectamus. Tua Domus, in ſolido cœptæ magnitudinis conſiſtens, per magnificentiſſima opera, Cælo viciniùs áſſurgit. Cui ad ſupera alta, ſtabilemq́; celſitudinem, æmula ſupernæ Hieruſalem, ſeptem & quinquaginta templa; præbent ſcalam, & æthereos moliuntur gradus. Quæ, rarâ & ſplendidâ liberalitate, MARTINVS LVBRANSKI, Epiſcopus olim Poſnaniēſis, & Vratiſlavienſis erexit: firmiora Palladio, & Veſtalibus focis, ſecreta imperij pignora; in quibus, ad ſimulacrum cæleſtium ſiderum, cuſtos Regnorum, ſuæq́; Familiæ, flamma vigilaret. Hæc demum bonorum Antiſtitum prærogativa eſt, hic immortalitatis titulus, ampliſſimas Eccleſiarum dotes; earumdē incrementis & ornamentis impendere. Hac arte, humanis rebus, Divorum favor quæritur: hoc Congiario, & largitione, cæleſtia ſuffragia emen-

emendicantur; vt publicè privatimq; prosint. Per superba Crassorum edulia, & splendidas Lucullorum cænas, luxusq; Antoniorum exitiosos; aura popularis paratur, turba clientûm emitur; ast DEVS offenditur: census quantumvis magnus minuitur, mala publica augentur. Potior Divinorum cura, ritusq; Sacrorũ; tollunt privatam luxuriam, quæ multos specie Virtutis deceptos, in egestatem cogit; publicam magnificentiam attollunt. Ambitus & luxus, transverso dubiam Curionum mentem torrente, abripiant à recto; cogantq; Libertatem Patriæ, & Legum præsidia vendere, Gallorum spolijs & Cæsaris auro. Non est Liberrimæ Reipublicæ Polonæ; opum metuenda facultas LVBRANSCIJ Posnaniensis Palatini: Vincet amor Patriæ VINCENTIVM, suadebitq; vim benefaciendi & imperium, cum Fratre ANTISTITE, salva vtrinq; pietate, partiri. Jlle Hæreditatem Christi, redituſq; Præsuleos, augendo cultui orthodoxæ Religionis impendit: Iste, Rempublicam Polonam, multarum villarum hæredem, primus iure Ordinationis, evincet. Primum ingeniosi in Patriam amoris, documentum; tantò magnificentius, ad imitandum posteritati transcri-

bens; quântò mâior âffectuum Paternorum victor; geminum Pollucem ſuum, Alterum Regni PROCANCELLARIUM, Alterum CASTELLANUM BRESTENSEM, CVIAVIENSEM docuit; Patriæ quæ genuiſſet, ne dum fortunas, ſed vitam & ſangvinem impendi debere; eum quoq;, in commune decus, non ſuum, oportere niti; qui publicâ dignitate emineret. Non enim aliud certius argumentum eſt, ſtare diu, & florere egregiè, fortunam magnæ Domus; quàm ſi æternæ Reipublicæ, impenſiùs ſtudeat prodeſſe; & bonis temporalibus & meritis immortalibus: quæ nec veræ gloriæ cenſum, nec immortalitatis privilegium vendicarent; niſi publicæ felicitati allaborarent.

Pandite iam Helicona Deæ, & quæ laudum præconia, partitim alijs ingeritis, cantuſq; ſingulos movetis; hîc totum atq; integrum plaudendi vigorem, reſumite: vbi maximum Literarum negotium, pulchra æmulationis gloria peragit; gemmea Gratiarum Coronis, pretioſiſſimus ingeniorũ Vnio, Tiaratum, eruditarum mentium Faſtigium, IOANNES LVBRANSKI. Hic noſter Apollo, Philoſophicam Lauream, erudita circum tempora, ſibi virere gaviſus; INFVLÆ

Poſna-

Posnaniensis Coronamentũ accepit. Altiùs ille cogitans, & sapienter expendẽs; nec Ecclesiarum sacra adyta decorem, nec Immunitates Ecclesiasticas tutelã, nec Patriæ Pergama, tutam ac integram felicitatem habitura; nisi bonarum Artium florens Studium, lumen, præsidiumve succurrat: eò heroicæ Munificentiæ ingenium intendit, vt Academici Studij in Orbe Polono Generalis, amplitudinem, Posnam vsq; extenderet. Non Ætolicas manubias cum Fulvio; sed innocuas opes, nullo profano fœnore, nulloq; censu iniquo pallentes; ne Plutonis compedes, aut iniuriæ pignora, vocarentur; Latinis Musis dicavit: erexitq; ad Basilicam Ecclesiæ Cathedralis Posnaniensis Majestatem, Templum Musarum: cui pro Lauro Apollinari, triumphalium ferax Laurearum, Gentilitia sua PINVS, semper vireret: & sonantia rapidi Vartæ fluenta, Castalium fontem exhiberent. Actum hoc præclarè, more veteris Romæ solenni; vbi prope Ædem Virtutis & Honoris, sacro fonti Camænarum, religio advertebatur: luculento præcavens monimento; iter ad capessendos honores, plerũq; Literis promoveri; & tam prima virtutum rudimenta, quàm insignia incrementa, à doctrinarum magisterio procedere. Cedant

Cedant fabuloſæ Græcorum Charites, veris LVBRANSCIANIS Gratijs, tripartito benefaciendi genere; in Eccleſiam, Patriam, & Magiſtrâm Sedemq; Studiorum Regni Academiam, gloriosè admodùm certantibus. Quarum accepta ſideribus munera, cùm antè, in ſimili argumento, rudis adhuc laudator, priſcæ Quiritiũ magnificentiæ, prætuliſſem; nunc ſacro ſilentio, venerari potiùs eligerem; quàm mortali facundia, temerare immortalia: niſi divisa inter Tres, maxima Cœleſtis beneficentiæ gloria, in Te collecta CELSISSIME PRINCEPS, Vni Tibi ſummum decus, & maius humano, elogium acquirat. Vnde, hoc trinum perfectum, in glorioſiſſimis Tuis operibus, publicâ celebritate acclamatum; liceat pauliſper admirari, & illo, in Te celebrando, vti compendio laudum; quo æterna Immenſitas gaudet. Quid verò, Studiorumne Sapientiæ amorem, favoremq; perpetuum ac æſtimationem; priùs mirer? an in conſervandis Patrijs legibus & Libertate vindicanda; Magnanimitatem, Prudentiam, Autoritatem, Fidem illibatam, bono publico conſulendi, vim dexterrimam & felicitatem? an deniq; Eccleſiæ DEI erectam cœlitùs in Tuo magnanimo pectore, aure-

am Co-

àm, Columnàm murum adàmantinum, & inexpugnabile propugnaculum, dubitare cogor? Cæterum vt olim, Divinis rebus operantes, in eam Cæli plagam, oculos convertere, ſolenne habebant; à qua oritur lux diei; ita mihi, Te annuente, conſilium eſt; ſpem, rationemq; Literarum, in Te hac tempeſtate ſitam; priùs laude afficere: vnde profuturus, magno Religionis Orthodoxæ, & Reipublicæ Chriſtianæ bono ſplendor emerſit.

Delphos, Cyrrhamq;, Clariumq;, non petat miſſus ſciſcitatum oracula, Divinæ humanæq; Sapientiæ; verùm à Tuo ſacro ac venerabili Ore, attonitus pendeat; quo Divina ac Politica reſponſa pandis. Ad cujus advenientis, diſcentiſq;, reverendum in iuvene admodùm animi Senaculum; Phæbea Templa moveri, & tremere viſa repente; Lauri, liminaq; DEI. Arcanum Divinæ cuiuſdam & excelſæ mentis, auguſtiore vultu interpretante; ſumma omnia, de Te augurandi, prædicendiq; Sũmatibus eruditorum, pulchrum certamen erat. Jn lubrico florentis ætatis ludo, nihil ludicrum, nihil humile; omnia ſeria, ſolida, & præclara, ſpirare, dicere, & audire; modumq; ex ſapientia, quod eſt difficillimum, tenere; ſolitum Tibi, ac prorſus à na-

tura feliciore inditum videbatur. Ita Virtute duce, comite doctrinâ iniunctum; discentibus immensum ad similia calcar addere, docentibus in delicio, admiratione; tantùm non in magisterio esse: nunquam sine Iove Apollini sacra facere, semper Musis amicas applicare virtutes. Profectò, iam tunc conspicuus, præsentium temporum moderator destinabaris, quibus, iam prope illa ominosi mali Ilias, evolvitur; qualē Romanus Sapiens, fluentibus in deterius, summi Imperij rebus, ingruisse queritur: *Vt omnium rerum (inquit) sic Literarum quoq; intemperantiâ laboramus, nec vitæ, sed Scholæ discimus.* Noxiam hanc intemperiem, plùs scire velle, quàm satis sit, exosus; illam Sapientiæ partē, toto pectore amplexus es; quæ Te salutarem Patriæ Civem, & Prudentissimū Senatorem; quæ Optimum Ecclesiæ Pontificem; in normam & exemplum, cæterorū formaret. Nullum equidem diem lætiorem fulsisse, Illustrissimo PARENTI Tuo, summarum in Republica Partium Senatori, offensionum pro utilitate communi impavido, nec quo Latus clavus, aut Castellanalis Purpuræ Insigne, familiaria Domus suæ Decora, magnis meritis obtigissent; quàm eum, quo Te, ex indole, altæ mentis celsitudine, morum gravitate, & libertate

bertate ſentiendi quæ velles; & quæ ſentires dicendi; cognovit, ante Togam Virilem; parem futurum maximis, & vbi munere Divûm maturuiſſes, ſummis non minorem: qui magnorum Avorum Atauorumq; gloriam, non tantùm æquare, ſed ſuperare poſſes.

Altiorem ſummi Parentis ſenſum, claris tantæ excellentiæ indicijs, infallibilem fiduciam ingerentibus, innixum; non vanis Haruſpicum aut Coniectorum interpretationibus incitatum; caput Orbis terrarum & ſolium Fidei, in quo auguſtiùs Sapientia regnat, cos ingeniorum, & maxima criſis, ROMA probavit. Vidit illa in aurora annorum, magnum illuminatiſſimi Tui iudicij diem; quem Sol ſcientiarum Theologia, ſereniſſimo Virtutum meridie; non ſinè Cynoſurâ Iuriſprudentiæ, accendebat. Perſpexit, quantùm rebelles vero lumini, hæreſum vmbras diſpuncturus, & fulmine Sapientiæ perculſurus, parabaris. Jam tunc Romanis Arcibus, ſpondebat Te magnum PRÆSULEM, celſi nitor igneus oris: iam tum eruditorũ conſenſus vates optimus; in Tuum dignum coronis Verticem, lucidum INFULARVM, velut ſtellarum agmen cogebat; Purpureumq; Iubar, à Senatorijs Dibaphis promittebat.

Quorundam eô commeantium, diverſus à Tuo eventus; alia ſors, ſpes ſæpe eluſæ, votorum deceptio: quia non eadem Tecum, recti honeſtiq; contentio. Alijs Prænestinæ deliciæ, vt Capua Annibali factæ: alij dum ad Pontem Milvium, Neronis illecebris celebrem, hærere & genio indulgere, fructum peregrinationis præcipuum arbitrantur: heu diverſi à Coclite! non Tyberis, ſed illecebrarum alveo, inglorij merguntur: vel incauti laqueum incurrunt erroris & ignominiæ; quamvis miluo & accipitri, rete non tenditur. Alius dum non horret aſpectum Meduſæ, ad Capitolij immobile ſaxum plerumq; obriguit: alius inter admiranda Romæ veteris rudera, dum ventos tantum paſcit, & oculos imagine inani; non animum ſerijs & honeſtis actionibus intendit; rudis bonarum Artium:

Romæ Tybur amat, ventoſus Tybure Romam.

At Tibi ô PRINCEPS, ROMA, eruendorum, ex antiquitatis ſacrarijs, maximi Imperij arcanorum, atq; ingentium circa Divinas, humanaſq; res moliminum; MORA fuit: ROMA, Tibi AMOR Divinorum, & Studiorum cauſas modoſq;, ſeu in Statu Eccleſiaſtico, ſeu Politico egregiè decorèq; verſandi; do-

centi-

centium. Nullæ Tibi Romanæ deliciæ aliæ ſuccurrebant, noſcebanturq́;; quàm doctiſſimorum præceptis & conſilijs intereſſe; in eorum conſortio ac comitatu perpetuò verſari; reconditos omnis maſculæ eruditionis ſenſus, proponere; aut propoſitos ingenioſè ac ſapienter reſolvere: identidem Tecum piâ mente agitare; in illa benedicta Terra, copioſo Martyrum Sanguine fæcundata; in illo Chriſtianæ Religionis Apice; quidquid contingeres, vel calcares; Laurum eſſe, Sanctorum Martyrum pugnis, victorijs, triumphis, & innumeris opprobriorum ac tormentorum nominibus, omni profano, acto triumpho potioribus; nobilem: per eiuſmodi Sanctitatis proceſſus, Tibi ad Sancta Sanctorum, aditum patefacere. Illa ipſa ſtupenda, imperioſæ Vrbis cadavera, admirabilium operum fragmenta, & ruinarum ruinas; extremas Romanæ Maieſtatis lacinias, conſiderans; benè ac ſapienter cenſueras: nihil in rebus humanis, etiam altiſſimo ſubuectis faſtigio; firmum eſſe ac ſtabile: nihil à vetuſtate, caſibuſq́; tutum: omnia cùm ad ſummum venêre, labi; & rarò in priſtinum, vnde cecidêre, culmen; relapſa referri. Sola perpetuo manere Virtutis & Sapientiæ, præclara

facinora; ſolà nobis dum vivimus, gloriam & honorem; dum deſinimus, immortalitatem vendicare.

Hæc eminentia in vtraq; fortuna, bona; cùm, feliciſſimo Naturæ Tuæ Genio debeas; nec inconvenienter ducibus nutricibuſq; Tuis, Literis attribuas; non miror Literas Tibi cordi eſſe, Lateri Tuo, ſemper viros eruditos hærere, cum illis diem partiri, de rebus magnis & ſerijs diſcurrere; nec pietatis exercitia deſerere. Non miror novàs Sedes & auguſtalia, à palmaribus munificentiæ Tuæ veſtigijs, ijſdem ſurgere; quandoquidem non ignoro, in cultiſſimo pectore Tuo, Muſas cum Apolline, gratiorem, quàm in Pyrrhi annulo, ſedem fixiſſe. Imò exinde, novæ felicitatis noſtræ, Tecum venientis; quam capere nequeo, menſuram certumq; argumentum, conijcio. Quãtis Tu CELSISSIME PRINCEPS bonis! quantis gaudijs! Literatos Divi Iagelonis Penates, primævam Regni Scholam, Academiam Cracovienſem, CELSISSIMO SANGVINI Tuo, ſemper dilectam & fidiſſimam; aucturus cumulaturuſq; advenis: poſtquàm, lumine iam propiore, Numinis Tui præſentis & patrocinantis, dignanter afflabis; quàm pridem à longe, propitio, ac

vere

verè LVBRANSCIANO Sidere, fovere & illuminare; inter præcipua laudum Tuarum, decrevisti. Senium illius sinè ruga, nivibus mentium candet; sed & recentibus semper Laureis vernat: nunquam effætum, semper fæcundum. Cæterum, igneum iuventutis vigorem, assumere gestit, sub triumphali Tegmine PONTIFICIÆ PINI; immortalibus gestis plantatæ in Domo Domini: iamq; inter gemmeos Trium Vaveli Coronarum nitores, eminentis. Quæ REGES AUGUSTOS, inter fulmina tonitruumq; fragores, dum tranquillè secureq; coronat; an non Regias Cracij Academi Camænas, Coronâ anni benignitatis redimiet? & ampliùs, non aliter quàm sua Laurea Phœbo virebit; in munimen & protectionem?

Sed me Parnassi per ardua, forsan dulcis abduxit amor, á regione viæ? minimè verò: rectà, longum dicenti protenditur iter; ast sive navibus, sive equis persequi velim; mille discriminibus, nunc latentibus, nunc manifestis horrendum; Orationem moratur, dum cogitationem percellit. Hoc, Tu Magne ANTISTES, geminatis Ecclesiæ & Patriæ auspicijs; fortiter pergere aggressus; quia gloriosè vsq; ad palmam superaveris

confeceriſq́;, nec mihi indecorum erit, fa-
ventes DIVOS Tuos ſequenti; palmaria ve-
ſtigia, quæ adamante & auro exprimere non
opis eſt noſtræ; vmbratili ſtylo ſignare. Atq́;,
prout viam capeſſentibus, multa moram &
difficultatem obijciunt; interdum aſpera iu-
ga montium, anguſtæ fauces; interdum palu-
ſtria & vliginoſa locorum; horrida nemo-
rum, periculoſi anfractus, & vndoſi vorti-
ces fluminum: interdum ſcopuli marium,
Symplegades & Acroceraunia; ita mihi, in-
feſta Regni omnia, ambigua, titubantia, lu-
brica, procelloſa, recolligenti; multa, ex his
iuſtæ formidinis imago, animo trepidanti oc-
curſat: quæ, Tibi in ardua tendenti, inuſita-
ta Virtute, in, tutum, ſolidum, & tranquillũ
rediêre: primaq; præcelſæ Indolis, per talia,
inoffenſos intrepidoſq; curſus; ad ſumma o-
mnia in Eccleſia & Republica, vrgentis; ex-
perimenta fuêre. Horribilem illum, ad ob-
ruendam Poloniam, vndiq; ingruentium bel-
lorum cataclyſmum; & tanquam magnum,
omnium in circuitu malorũ Oceanum; Sar-
maticis hiſce oris ſuperinfusum; demerſu-
rumq; profundo, Laureatam ſemper Reipu-
blicæ Polonæ claſſem; niſi, eminentiſſimam
ſuper hæc omnia, fortiſſimorum, Moderato-

rum Io-

rum JOANNIS CASIMIRI REGIS, & LVDOVICÆ REGINÆ fortunam veheret; dum totis artubus tremens cogito; dumq; aliud, interno à viſcere validius ad ruinam; fatale diſſidiorum Civilium, armorumq; incendium, vindice, hinc Majeſtatis, inde Libertatis flammâ, excitatũ, rememoro; Deucalionis, aut Phaëtontis fatum, neu hodie ipſe inueniam; vehementer metuo. Quod Dij boni à Polonia averterũt, Tuq́; avertendi, non vltimum momentum eras. Idem enim magnus, & vitæ ſanctimoniâ conſpicuus Sacerdos; placationis hoſtiam, Domino Exercituum, pro tranquillandis Rebus Polonis; offerebas: Idem iuſtitiæ Regnorum conſervatricis ſummas partes, & ſupremi faſtigia Iuris; in Auguſto Regni Tribunali, Libertatis Sacrario, miſerorum aſylo; tuebaris, dicendi maieſtate, animi magnitudine, integritate iudicandi.

His affatim glorioſis initijs, in teneritudine annorum, conſumatum, non tenerum, Divinarum humanarumq; legum patrocinium, palam exhibuiſti; in florẽtibus annis, celerrimum alti iudicij ſenium, & Virile ingenij robur, Tiarato Honore coronandũ. Nec mora, maiora merentem tenuit: purpuream

velut auroræ ſurgentis facem, ad maximæ lucis, in quam luculentis indicijs parabaris, augem; prætulit INFVLA CHELMENSIS: quæ Te Sponſo ſuo ornata, auguſtiorem decorem induit & fortitudinem; amictaq; lumine Virtutum Tuarum, ſicut veſtimento; contra offuſam tenebrarũ inferni caliginem, gloriosè certavit. Collectus ille, ex tot auguſtis Serenitatibus Cæſarum, Regum, Principum, Ducum, Corybutheus Splendor; in nativo quidem Paterni Materniq; Luminis fonte imměſus, ſed in Regali Solio, modicùm fulgens, MICHAEL I. Poloniæ REX: cùm Divi MICHAELIS, Cœleſtis Militiæ Archiducis, rebellium DEO Spirituum, vltoris ac vindicis, Tutelari auxilio auſpicioq;, perturbatum civilibus diſcordijs, Regnum componeret; trepidã, inter coortos motus, Throni Majeſtatem firmaret: noctemq; illorum temporum funeſtam, in ſcelus civile erupturam, Regio Sidere ſerenaret; triumphalibus Tergeminæ Crucis Gentilitiæ, Signis, pacem & malatiam, contra luctantibus ventis imperaret: triplicem quoq; conſiliorum funiculum, qui difficilè rumpitur; in Tergemino Gentilitiæ Tuæ PINI Vertice, invenit laudavitq;. Nempe illi conſtitit, nobilem triumphis GO-

DZIEM-

DZIEMBARVM Arborem, non aliter in decus tutamenq;, Regum & Regni Poloniæ; quàm vt ſacrum Ancile, Vrbi Gentibus imperaturæ; Cœlo demiſſam ab alto.

Volvi fatis etiam ſidera, luctuoſus Regalis Cynthiæ occaſus docuit. Oritura hæc pulchriùs Cœlo, terris deficere debuit; vltimo tamen proſpero lumine, Signa Regia, Turcarum minantia Signis; & bellatrices Polonæ Militiæ Aquilas reſpiciens; ſimul, oppoſitum ſidus Thracium, agmenq; adverſum; ingentis cladis vmbris involvit: ſimul Sereniſſimo olim JOANNI III. triumphalibus flammis, ſignavit viam ad Coronam. Ceſſit hoc in gloriam liberrimæ Gentis, quôd eum, fatis cedente Rege, regnare vellet; qui, auſpicijs Regis & Regni, fortiter & gloriosè, pugnavit & vicit. Congruum erat, vt illa ſecundæ Chotimicæ Victoriæ Laurea, quæ, reduci in Patriam Heroum triumphanti Regi, via lactea extitit: Inviċtiſſimo Exercituum Regni Imperatori, auſpex Imperij Sarmatici, extaret. Quanquam illa pugna & vincendi ratio, liberè ſentientium, liberiſq; ſuffragijs, Regem ſibi legentium animorum; difficilior quandoq; in Electorali cum liberis Civibus, quàm in Martis Campo, cum ho-

ſtibus. Quandoquidem inibi, ſæpius ſola fortuna; interdum fulta conſilio, vincit; hîc ſemper Virtus, conſilium, ingeniumq́;; rarò caſus, nunquam temeritas, triumphant. Cæterùm, non diu regnandi ambiguus, à ſuffragantium votis pepēdit; quem maioribus Regno meritis, & Regijs Virtutibus, inter Cives eminuiſſe; ne dum concors Procerū Regni, liberiq; Populi cōſenſus; ſed humani generis conſcientia, Tecū aſſeruit evicitq́;. Ita Tu PRÆSVL, & dextro conſulendi munere, & egregio Eccleſiaſtici Culminis regimine, vndiq; Optime; Optimatum Regni ſententiæ accedens, Regem Poloniæ, non poteras eligere, IOANNE III. meliorem. Qui, poſt tot turbulenta ſpatia, mitiſſimam Regni ſortem facturus, REX novus; priùs glorioſo victricium armorum imperio, à finibus Patriæ, hoſtes fortiter depellendo; metui publico, coronidem ad tempus impoſuit; quàm auguſtā Coronam Regni capeſſijt: amoribus Civium magìs, quàm Regio Inſigni decorus; novis Laureis, viam ſibi ſtravit ad Solium. Ille REX, Regnantium Purpura & Idea, Bellatorum gloria & triumphus: maximis quibuſq; veteris & ſui ævi, Imperatoribus par, aut ſuperior; ille acerrimus omnium, magnæ

cuiuſq; Virtutis inſpector & iudex: merito-rum arbiter & æſtimator: magna merentibus, æqualia præmia retribuere ſolitus; vt eandem merendi viam carpentibus, ſpes pararetur.

Quoties ille, non ſinè incredibili Regij pectoris delicio, ſuſpexit entheum illum Tuum, pro rebus Divinis ſeſe opponēdi, vigorem; illam animoſam, pia & decora ſuadendi, libertatem; altùm æſtimavit, Tua ſapientiſſima in Senatu reſponſa; quæ Immunitatis Eccleſiaſticæ, ſpiritus erant & vita: gaviſus eſt, quoties Te, pro Eccleſia DEI loquente & ſapiente; mundi ſapientia prævalere non potuit; quam ſæpiùs quoq; Fidei rationes trāſferentem, ad Politicæ praxis orbitam, ſeverè perſtringere; invictus animo, non diſſimulabas. Probavit ſemper conſilia Tua, in Rem Patriæ ideo ſalutaria, paci amica, diſcordiæ inimica; quia cum Deo coniuncta, & Divis Conſultoribus; prolata in medium. Ergo fuiſſet illi rubori, niſi Te, Tantum PRÆSVLEM, Tantum SENATOREM, acceleraret; Tergeminis Tertius ipſe, INFVLARVM, LVCEORIENSIS, PŁOCENSIS, & VLADISLAVIENSIS; extollere Honoribus: quos Tu præcla-

rè re-

rè rebus geſtis, & gerendis; præceſſeras. Atq; vt ternarium Iuſtitiæ titulo, erudita antiquitas inſignivit; ita ille Regum Sapientiſſimus, ſanctiùs Romano; quia vivum in Te, iuſtitiæ & pietatis aſylum, advertens; triplici EMINENTIÆ EPISCOPALIS, gradu ſublimare, feſtinavit. Hic Te verè bonum PASTOREM, exemplo Summi PASTORIS CHRISTI, pro Grege commiſſo pervigilem, acclinis veneror: nactus Oves in medio luporum, vtrumq; rexiſti prudenter, foviſti convenienter. Sollicitus, nè oves à lupis læderentur: iugiter incubuiſti bonorum operum exemplis; vt lupi agnorum manſuetudinem induerent; & in naturam ovium, felici metamorphoſi verterentur: pluſq; ad flectendum in melius, feroces diſſidentium animos, Gedani, Thorunij, per totamq; Pomeraniam, bonis moribus valuiſti; quàm alius, fruſtra minantibus armis; aut doctiſſimis cogentibus argumentis, aut ſeveris legibus, attentare vellet: tantùm effecturus, quantùm in vero adamante ferrum.

Perge PRÆSUL magnanime, Laureatos inſiſtere calles; contra hæreſim Patrijs inhærentem finibus. Nam Te, mox validìs eiuſmodi acris militiæ, abundè inſtructum

rudi-

rudimentis; in ipſam hæreſum Sedem, boni Superi conducent; qui tantarum ſunt auſpices Præſtiteſq; pugnarum. Verùm priùs illis monitoribus, perſpicacem Cœleſtis Tuæ induſtriæ pupillam, acriter intende; in occultam Tibbarum colluviem, iam prope Baltico littori & mænibus Dantiſci, ſeſe infundentem; parvis quidem rivulis, & magìs fallentibus venis; quia occultis: ſed ſtygium amnem, æquaturam, ſulfureis Anabaptiſtarum aquis; niſi ipſam originem fontemq; ritè inveſtigatum; in ipſis initijs obſtruxeris, obrueriſq;. Hanc Tibi cælitus conceſſam laudem, vt gratiùs Orbis ſuſpiciat, ſub pulcherrima imagine, proponere libet. Poſt ſæva perſecutionum tonitrua & procellas, optatum tranquillitatis beatæ nacta ſerenũ; poſt aſperas infidelitatis hyemes, Ver incipiens purpureum, Vniverſalis Eccleſia: immenſis tandem per impiam Arij ſectam, afflicta ærumnis; gratulata eſt, mirâ Numinis providentiâ, geminos ſibi terrores, duo ſacri fulmina belli; immotas in periculoſa Fidei Orthodoxæ, iactatione, Columnas; contra excitam imo à tartaro, Arianiſmi tempeſtatem cõtigiſſe; ATHANASIVM & HILARIVM: qvi, non ſinè ingenti Orbis mira-

culo, ambo exules; álter Occidentem, alter Orientem, à ruina præcipiti continerent: vt prorſus illorum exilium, in Eccleſiæ periclitantis præſidium, ordinatum eſſe videatur. Non minùs hodie gloriari poteſt, vtriuſq; gloriam & heroicam dexteritatem, pia æmulatione, in Septemtrione, per Te inſtaurari. Quùm æmulam nuper Arianiſmo, Mennoniſtarum hæreſim; latentem velut ſcorpionis ictum, cui vis fallens in periculum; nec morſus noſcitur, niſi ex tumore: ſcrutando in lucernis Scripturarum; mentientia lucem veritatis, opera tenebrarum; in apricum è latebris, impium tenebrionē produxiſti. Tu, intricatum doloſæ doctrinæ, & in perniciem Chriſtianæ Religionis, perſonato ſpecimine, graſſantis Labyrinthum, cæcaſq; vias; Divinæ ingenio Sapientiæ, non fabuloso Ariadnes filo; penitiùs inveſtigans, excuſſiſti: contra novum Minotaurum Mennonem, verior Theſeus: contra Chimæram hanc, Cæleſtis Perſeus: contra tricorporem hunc Geryonem, alios Anabaptiſtas, ad ſe venientes, tertiò rebaptizari docentem; Tu Divinior é Cœlo Hercules comparatus.

Quidni Te, è prælijs Hæreticorum revertentem, velut ſuum olim HILARIVM,

Galli-

Galliarum complexa est Ecclesia; Te desiderijs icta fidelibus, Sponsa iam Tua Diœcesis Cracoviensis, effusissimi amoris brachijs complectatur: tàm pro aris, armatum zelo & pietate Pontificem; quàm pro Patrijs focis, omnia vincente Patriæ amore, tanquam, tunicâ adamantinâ tectũ; Imperatorum Prætextas, palmas & triumphos, Cataphractâ Prætorianorum Equitum Cohorte, Præsuleis vbiq; triumphante auspicijs; promerentem. Tu, si opus esset Patriæ, invicto animo præstiturus Ducem, exemplo Romano; vbi sæpe, iidem Sacrorum Pontifices, & maximi armorum Imperatores, fuere: gloriosissimi ex Turcis ad Viennam triumphi, magnam partem ad immortalitatem feres; cui hastatis Tuis Triarijs, insigne adiumentum dedisti.

Talia ac tanta, bello páceq; perfecta facinora, suppeterent alij, ad totam famæ perennitatem; Tibi non suppetunt: cui maiora pro Fide Christi, & Libertatis Polonæ vindicijs, parantur certamina; simul âugustiores victoriæ & trophæa. Non vulgaribus exercentur fatis, summi mortalium, quorum mens supernis cognata Intelligentijs, secum circumactura Orbem, & ruentium regno-

rum pondus, ne quidquàm nutantibus humeris ſuſtentatura; deſuper advenit. Qualis Tua nuper patuit, medijs Civilium diſſidiorum in fluctibus, tranquilla; inter coactarum nubium fragores, denſóſq; nimborum crepitus, inter fulgurum minacia tela, eminens, ſerena, immoto, inter talia, & ſemper renidenti perſimilis Olympo.

Poſt tot immortalia edita opera, revocato ad Superos, vnde in ſalutem populo DEI, miſſus fuerat? Magno JOANNE, Regum & heroum omnis ævi, facilè ſummo: acerbam indignantium fatorum viciſſitudinem, non vna voragine malorum, in perniciem noſtram hiantium, ſenſimus. Prope erat, vt homines paſſim crederent, rumoribuſq; ferrent; in vltionem tanti Regis, quem non ſatis dignè coluiſſe videbamur omnium adverſorum Ilium, Poloniæ ingruiſſe; cui vincendo ſuperandoq;, non Neſtores, non Achilles decem, ſufficerent. Inde infenſiſſimos ab Oriente hoſtes, novâ opportunitate erectos, non fruſtra metuebamus. Hinc vndiquaq; infidis ſocijs amiciſq; circumdati, non erat ſecurum; ſpem, fidem, opemq; in vicinitate reponere: ne quid malorum deeſſet, intra penetralia Regni; equus Troia-

nus

nus comparuit: vnde præsidium irruentibus malis parabatur, grandius periculum extitit. Tenacissimum Reipublicæ vinculum, disciplina militaris conculcata, spretumq; à confœderato Milite, Ducum imperium. Militaris ille furor, cuncta Regni afflicti Divina humanaq;, fatali quodam incendio corripuit; auxitq; mala, quæ avertere debuerat.

Omnium malorum apex, subito fati Regalis turbine, perculsa Respublica; discors, nec sibi constans erat: infausto ambitu Regnorum omnia permiscente, & bona etiam consilia, in diversum trahente. Hinc circa eligendum vnum, qui omnibus imperaret; anceps opinionum pugna, solo quandoq; vincendi studio, paratæ digladiationes; Cadmeum (quod vereor dicere) certamen, & ÆmathiâCollinâq; funestior futurus, Electoralis Campus. Vos tantũ ô Dij boni! avertistis malorũ extremum; dum partiendo vota, vnius Regni fortunã, in duos divisam esse permisistis: vnituri eandem in AVGVSTO II. ipso Nomine Augusti, quandam prætendente, ab Octavio Augusto Cæsare necessitatem; turbas Civiles, non tantùm mundum pacandi. Tu, vox Superum fausta, in-

terpresq; Numinum placueras; qui, inter deforme obsequium, & abruptam contumaciam, dicta factaq; Principum, secùs quàm fiant, interpretandi; optimâ munitus conscientiâ, tam omnem, ex publicis malis occasionem crescendi, fugiente; quàm olim Græciæ senes, vitabant Ledeæ aspectum Helenæ: veri consilij libertatem, anteferens favori; qui iustitiæ & bono publico officeret: dixisti REGEM, quem fata Deûm, & liberi populi suffragia, iussére.

Gaudeat ergo, suo AVGVSTO Rege Polonia, & longa pace, quam illius auspicijs Cœlum donavit, florens; aurea sæcula experiatur Augusti. Sic tandem; Te magno Controversiarũ Disceptatore, & miro iungendorum animorum artifice; compositis feliciter Patriæ rebus, cum Serenissimo AVGVSTO, in præcipua Hæreseos propugnacula, prospera signa infer; benedicente JNNOCENTIO XII. Pontifice Maximo, cuius, gaudium eras & Corona. Scopulus Orthodoxæ Fidei, rigidum Lutheranismi caput, Capiti Orbis terrarum Vniversali, Romæ, contrarium, Saxonia; illustribus Tuarum Virtutum exemplis, emollita erectaq;; ad Sanctæ ECCLESIÆ Petram, ali-

quan-

quando respiciat. Tu dextra Manus DEI, tene Cor REGIS, inter Gentes Apostatrices; & dirige in viam rectam, Angelus Domini, quia ANTISTES. Populo duræ cervicis, oppone murum aheneum, morum & vitæ innocentiam. Ita Vaticana Potestas, toto Orbe pollens, promptior faciliorq;, BREVE Tibi transmittet; longum in eo laudum Tuarum complexa ordinem propter tot heroica pro DEO & Regno facinora, decernet illa, Te dignissimum, qui TIARÆ PONTIFICALI, MITRAM DUCALEM, & Ensem cõiungas; atq; Præsuleis culmen gloriæ munimenq; præferas in armis: Iconem HENRICI IV. Galliarũ Regis, gladio coronato, Aram subiectam, præferentem; & appositum Lemma, re vera & facto impleturus; *pro Ara & Regni custodia.* Plauserit olim, non nemini Cæsarum, minimè fucatus laudator, quâcunq; incederet; post eius vestigia, magnificas Templorum ædes, excitari; & æmulas Cœlo assurgere. Æviternum hoc propriæ Tuæ germanæq; laudis pretium est, Celsissime PRINCEPS; qui antequam Regni Metropolim, Sedemq; Tuam, felix bonusq; adveneris; viua æterni PONTIFICIS Templa, thesaurosq; Ec-

clesiæ

clesiæ DEI veros, rarâ & singulari munificentiâ accumulare; placidum in animum induxisti: ne pauperū egenorumq; innumera multitudo, per vicos & plateas Civitatis, passim ægri iaceant, ingemiscant, langueant, infirmentur, moriantúrq;, providendo. Ianitrix quondam Cæsarum Pontificumq; Laurus, magnis assueta triumphis, cedat potioribus Cœli ianitoribus, pijs pauperum suspirijs, quæ Te viventem videntemq; supernis favoribus æquant; vtq; hac bonitate, qua nos facis felices, longævus ipse & sospes læteris; vim Cœlo inferunt, comprecando.

Faveant, ferventium populi votorum desideriorumq; Divi Præstites Consentesq; Cognato Nomini; alter PONTIFEX & MARTYR, alter CONFESSOR, STANISLAI: firmentq; valetudinem Tuam precibus meritisq; suis, vt quæ digna PONTIFICATV Tuo Cracoviensi, gerenda, decrevisti opera, compleas; ac præclaris Decessorum Tuorum gestis, Virtutis & gloriæ fastigium, laudandorum exitu moliminum imponas. Multiplex publicorum plausuum acclamatio, auspicatissimo Adventui Tuo circumsonat ô PRÆSVL! cæterùm,

ſincerius candidiuſq; nullum exiſtimaveris gaudium, quàm Almæ Studiorum Regni Parentis Academiæ: quæ cum Divo PATRIARCHA ſuo JOANNE CANTIO, pro Te CANCELLARIO faventiſſimo; ſolennibus Votis, DEVM OPTIMVM MAXIMVM, bonorum Paſtorum Præſulumq; Datorem ac Servatorem, precatur; vt Te diu benefacere & benedicere, Eccleſiæ Patriæq; non deſinente; illi, quicunq; Reipublicæ bono, eius fideli inſtitutione educantur, ab eadem vivendi rationem accipiant; à Te Ipſo EXEMPLVM.

FERALE
EXODIVM MORTIS!

En noſtros plauſus, expectatoſq; triumphos!
ſolutis liberioris Eloquentiæ habenis, imponentes modum;
conſonos magnæ lætitiæ,
quæ eſt ſinè modo,
Epicos dum meditamur modulos;
heu votis contraria noſtris
Fata Deûm!
Amara Optimi PRÆSULIS Mors,
dulce melos, vertit in amara dolorum.
Chelym eripuit,
melodiam in næniam vertit.

Gemitum, pro cantu;
turturi SPONSÆ imperavit.
Ingressus eius, verè mandata æterna,
laudibus temperare iussêre temporalibus.
Adeo etiam, honestarum gaudia rerum,
desinunt in luctum & stuporem;
qui imperat silentium.
Nimirum,
PRINCEPS,
etiam, in ipsa rigidæ mortis vmbra,
CELSISSIME,
Ingressus Tuus, vbiq; pacificus;
nisi, cùm pro Domo Domini fulminandum erat;
Principi Pacis CHRISTO,
adeò placuit;
vt dum ADVENTVM eius in terras,
solennibus instauramus Cerimonijs;
Tu, illo vocante,
post tot gloriosos, pro tranquillitate
Ecclesiæ & Patriæ, conflictus;
ad Visionem Pacis,
longè feliciorem terreno,
INGRESSUM FACERES.
Dominicâ Primâ Adventûs
Viam vniuersa Carnis ingressus;
in Sedem Tuam Episcopalem Cracoviensem
Primo Ingressui parentavisti;
Præclaræ Mortis celebritate;
quæ, omni mundano, etiam splendidissimo;
augustior apparatu.
Munus Episcopale & Sacerdotale,
ipsis tremendum Angelis,
quàm dignissimè impleveris;

exitus

exitus approbavit.
quando tunc, relictis hisce Festis,
transivisti ad Consortium Angelorum.
& Hierusalem Cœlestem;
cùm Angelici Ingressûs
ad Metropolim Cœlestium Gratiarum
MARIAM,
Solennitas & memoria, in Ecclesia celebratur.
Inevitabilis Fati necessitas,
aliam, in Tuo nobis luctuoso Obitû,
necessitatem causatur.
Videlicet, veram Religionem,
rectæ Politiæ adiungere prudens;
postquam in Te, Vivum,
boni Pastoris, & salutaris Patriæ Civis,
Exemplar, expresseris;
intererat æviternæ gloriæ Tuæ,
& publicæ Disciplinæ;
Iconicum benè moriendi simulacrum,
omni mortalium Conditioni reliquisse.
Placuit Conditio, quam mutare non licuit.
Protinùs, in extremum cunctorum discriminum,
periculosissimum agonem, accingeris:
Omnium Sacramentorum Munimine,
& Orationis amuleto, succinctus;
contra potestatem tenebrarum,
Tibi semper vsitata,
sumpsisti arma lucis.
Alterâ manu, Christum Crucifixum,
certæ, ex hostibus Inferni victoriæ, Auspicem:
alterâ premens, Vir Apostolicus, ardentem lucernam,
tanquam omnis spei fortunæq; humanæ,
Orientem & Occidentem,
felicior Alexandro calcans;
Serenissimum Æternitatis Meridiem,
Purissimâ animi Tui crystallo, hausisti.

Nec solam voti fiduciam,
ast ipsum infallibilis fiduciæ robur ingerit,
Excellentissimus Actus Charitatis;
quo, animæ propriæ suffragia negâsti,
vt suffragio carentibus animabus, impenderes;
quæ, in Purgatorio veterum malorum supplicia expendunt
Quid hoc efficacius ad salutem!
Quid certius ad beatam æternæ vitæ sortem!
quàm Charitate, pretiosissimâ Cæli Margaritâ,
desertorum vndiq; vltimæ miseriæ succurrere,
& sibi Cœlum emere.
Quandoquidem docente Angelico Præceptore,
quilibet Motus Charitatis, valet Regnum Cælorum.
Insuper,
Romani Sapientis præceptum,
Catholico exemplo cùm impleveris;
Viuere totâ vitâ discendum est,
& totâ vitâ discendum est mori.
Ergo mansurum,
tam benè, decoreq; vivendi,
quàm bene, feliciterq; moriendi,
Exemplum;
etiam post acerba funera,
mitibus pietatis Exequijs;
DEXTER ADES.